



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

III. Vtrùm circumstantiæ aggrauantes intra eamdem speciem sint
necessario confitendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

necessaria, & quibus tegantur ad non appetendas dignitates, &c. sicut nec debent permittere se accusare, quod transgressi fuerint inspirationem oblatam, quando urgebat occasio violandi præceptum; (hæc enim transgressio inspirationis non est distinctum peccatum ab ipsa transgressione præcepti,) quod non præmiserit examen, nec doleat intensè, prout posset de peccatis; quod Deum non dilexerit quam potuisset intensè, quod in copula cum coniuge, vel alijs verba amatoria, & impudica cum ea fuerit colloquutus, quod in copula illa nimiam delectationem fuerint experti, &c. hæc enim, & similia, cum peccata non sint, non debent afferri ad confessionem. Ita ex prædicto Auctore refert Diana 2. tom. tract. 4. resol. 52.

Verum non debent reprehendi Confessarii, quod poenitentes in iis dicendis non impediunt: tum quia plura ex iis, quæ videntur meræ imperfectiones, non sunt sine aliqua culpa veniali; præsertim si cum communi sententia Thomistarum supponas, non dari actum morale indifferenter in individuo: ex hoc enim constat, eos omnes actus, qui ex fine honesto non sunt, esse peccata venialia. Tum etiam quia non est necesse, quod omnia, quæ poenitens in confessione dicit, sint determinatè, & absolutè materia absolutionis: multa quippè dicuntur, vel ad maiorem abundantiam, ut notitiam sui magis plenam poenitens Confessario tribuat; unde & beneficia etiam à Deo accepta narrantur, vel ut si quid fortasse culpa, & peccati in iis fuit, id totum per Sacramentum, & absolutionem deleatur. Sicut ergo infirmus omnia medico narrat, ut si quid inueniret curatione dignum, remedium adhibeat: sic poenitens Confessario, qui simul Medicus est, potest absque vitio omnia narrare, etiam imperfectiones, quia ad confessarium magis spectat discernere, quæ sit, & quæ non sit absolutionis materia, & ut Confessarius magis perspectam habeat poenitentis conscientiam, & eò melius de toto eius statu iudicare possit in ordine ad debitum remedium adhibendum.

SECTIO III.

Utrum circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem sint necessariò confitende?

Supponimus, circumstantias afferentes novam speciem esse necessariò explicandas, ut definitur in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. v. g. si sit percussio personæ sacræ, circumstantia illa explicanda est, quia transfert peccatum ad novam speciem sacrilegij. Hanc doctrinam limitat, vel explicat Cajetan. in tom. 1. opusculorum tract. 5. quest. 3. ut intelligatur de illis solum speciebus, quæ communiter mediocriter doctis notæ sunt, seu quæ diversum possulant iudicium, ut curentur, non de alijs subtilioribus. Quam limitationem amplecti videntur Cajetanus relectione de poenit. part. 5. §. Ad quartum argumentum respondetur. Nauarr. in c. consideret, de poenitentia dist. 5. num. 17. & 18. & Fagundez lib. 4. de secundo Ecclesiæ præcepto cap. 2. num. 4. Hoc tamen si, ut sonant verba, accipiat, videtur esse contra apertam definitionem Tridentini supra adducti, ubi damnatur, qui dixerit non esse necessariò confiteri circumstantias, quæ peccati speciem mutant. cui doctrinæ, cum uniuersalis sit, opponitur ille, qui dicit, aliquas circumstantias mutantes speciem non esse confitendas. Fortasse illi Auctores magis differunt in modo loquendi, quam in re ipsa à communi doctrina, & loquuntur de speciebus non mo-

P. Ioanni. de Lugo de Poenitentia.

ralibus, sed physicis; nam exempla, quæ adducunt, non habent differentiam specificam moralem, sed physicam, & aliunde certum videtur, omnem differentiam specificam moralem deferre ad varian-dum iudicium confessarii; nam idè dicuntur morales, quia in ordine ad considerationem Philosophi, aut Theologi moralis, id est, qui mores considerat, habent diuersitatem notabilem; vel fortasse aliqui horum Auctorum solum volunt excusari per accidens poenitentem à Confessione explicita aliquarum specierum subtiliorum propter maximam difficultatem in iis explicandis, vel dignoscendis, eo quod confessio debeat esse humana, & non metaphysica. De quo, & an debeat interrogare confessarius de iis speciebus, dicemus aliquid infra sess. 14. & dist. 22. sess. 2.

Supponendum secundo, circumstantias illas, quæ supra peccatum aliquod mortale addunt speciem novam peccati, non tamen aggravant mortaliter, sed venialiter, non esse necessariò explicandas, verbi gratia, si aliquis occidit hominem propter vanam gloriam, non est necessariò explicanda circumstantia vanæ gloriæ, licet det speciem novam peccati: quia quod per se non erat materia necessaria, nec etiam erit talis, licet coniungatur cum peccato mortali.

Difficultas est de circumstantiis, quæ non dant novam speciem, sed aggravant notabiliter intra eandem. v. g. si furatus es centum, gravius peccasti, quam qui furatur viginti. Sed tamen intra eandem speciem.

Prima sententia docet, eas circumstantias esse necessariò explicandas. Hanc tenent Altiſidor. Alex. Marsilius, Angel. & alij plures, quos referunt, & sequuntur Suarez dist. 22. sess. 3. Henriquez de poenitent. lib. 2. cap. 7. num. 6. Fagundez ubi supra num. 10. eundem sequitur Thom. Sanch. lib. 2. de calog. cap. 32. num. 39. & lib. 4. cap. 11. num. 24. & alij communiter.

Secunda sententia negat, debere eas circumstantias explicari. Hanc tenet S. Thom. in quarto dist. 16. quæstione. 3. art. 2. gloss. 5. Durand. Gabriel. Palud. Scot. Almainus, Bonaventur. Albert. Antoninus, Adrianus, Nauarrus, & alij plures, quos referunt, & sequuntur Valsquez quæst. 91. art. 1. dub. 2. Reginald. in prax. tom. 1. lib. 6. cap. 5. num. 135. Valentia in præsent. dist. 7. quæst. 11. punct. 1. Lessius lib. 4. de iust. cap. 3. dub. 12. num. 8. quos & alios multos congerit Antonin. Diana tract. 7. de circumst. aggravant. lib. 1. resol. 1. Omitto tertiam sententiam mediam, docentem debere explicari eas circumstantias in peccatis externis, non verò in internis, quia nullum habet fundamentum, licet in eam inclinare videatur Henriquez lib. 2. de poenit. cap. 7. num. 5.

Ex his sententiis, licet prima sit valde probabilis, magis tamen placet secunda. Quæ probatur primò ex Trident. dist. sess. 14. cap. 5. ubi postquam dictum est circumstantias, quæ speciem peccati mutant, esse explicandas, additur impium esse hanc confessionem impossibilem appellare, aut carnificinam conscientie, constat enim nihil aliud à poenitentibus in Ecclesia exigi, &c. Quibus verbis excludi videtur necessitas explicandi alias circumstantias. Cæterum hæc verba non habent illum sensum, non enim dicunt nihil aliud exigi præter id, quod supra explicatum fuerat: sed nihil aliud exigi à poenitentibus, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sinu omnes, & latebras explicauerit, & peccata confiteatur, quibus se Deum offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrant in uniuersum, eadem confessione inclusa intelligantur.

Itaque

Itaque illa verba, *nihil aliud*, non excludunt circumstantias aggravantes, sed peccata, quæ memoriæ cum diligenti quodam examine non occurrunt. Potest autem quis dicere eo ipso, quod exigitur confessio integra peccatorum, quæ occurrunt, iam ibi includi confessionem circumstantiæ, sine qua peccatum ipsum integrè non explicatur. Adhuc tamen induci poterunt hæc verba in favorem huius sententiæ, quia ille, qui explicat speciem, & numerum peccatorum, verè & in rigore dicitur confiteri peccata, ut infra videbimus: si ergo solum exigitur confessio peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, & nihil aliud, consequens est non exigi confessionem circumstantiæ, sine qua habetur vera, & propria confessio peccati.

108.

Magis fauet idem Trident. *illo cap. 5. & can. 7.* ubi dum explicat necessitatem confitendi peccata mortalia, & circumstantias eorum, semper addit limitationem illam, *circumstantias, quæ speciem peccati mutant*: qua limitatione videtur tacite excludere alias circumstantias. Nam licet id non dicat expressè, atque adeò videatur esse argumentum solum negativum, non tamen est purè negativum: aliud enim est, nihil prorsus dicere: aliud verò est agendo de circumstantiis, limitare semper positivè sermonem ad eas, quæ speciem mutant: per quod videtur positivè excludere alias. Sicut si tradens obligationem confitendi peccata, quæ colligitur ex Christi verbis, semper adderet limitationem, scilicet esse obligationem confitendi omnia peccata mortalia, quæ prodeunt in actum externum: certè videtur positivè excludere obligationem confitendi peccata interna. Similiter dicendo non posse aliquem sine speciali privilegio vitare omnia peccata venialia, eo ipso significatur cum speciali privilegio posse. Item dicendo, neminem posse sine speciali revelatione certè scire se esse in gratia, significatur cum revelatione posse id scire. Item dicendo neminem sine lumine Dei eleuante posse Deum clarè videre, significatur posse cum lumine eleuante, & sic in aliis mille exemplis, in quibus limitatio doctrinæ ad unam partem tacite excludit aliam partem ab illa doctrina. Cum ergo toties Tridentinum addiderit illam limitationem, videtur obiter alias circumstantias excludere ab illa obligatione confitendi, quam ex Christi verbis colligebat.

109.

Dicunt, Patres Concilij voluisse tradere doctrinam certam, & abstinere ab incertis, quæ sunt in opinione Theologorum. Sed contra primò, quia potuisset id Concilium præstare, utendo verbis uniuersalibus, v. g. esse obligationem confitendi *saltem* circumstantias mutantes speciem, &c. His enim loquendi formulis non videretur positivè excludere obligationem circa alias circumstantias, prout de facto videtur exclusisse. Deindè ex hac responsione habemus non colligi clarè ex Christi verbis, & Sacramenti institutione obligationem confitendi huiusmodi circumstantias, siquidem Ecclesia vniuersalis Spiritus S. lumine illustrata in generali Synodo non potuit hanc obligationem ex verbis Christi colligere, & tradere. Vnde fit legem illam non esse clarè prolatam circa confessionem circumstantiarum intra eandem speciem: lex autem in dubio legis latæ non obligat, ut cum aliis tradit Thom. Sanchez *lib. 1. in decalog. capite 10. numero 32.* Contra eum enim, qui Ius clarum dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda. Cum ergo lex clarè non præcipiat confessionem circumstantiæ non mutantis speciem, nec ex eius verbis colligatur clarè talis obligatio, (alioquin non limitasset Tridentinum suam illationem, (consequens est, ut talis lex non obliget: atque adeò nec fuerit lata, quor-

sum enim Christus tulisset legem, cuius vim, & obligationem non manifestasset?

Secundò probatur ratione, quia ex contraria sententia sequitur debere etiam explicari circumstantias notabiliter alleuantes: nam in hoc iudicio, sicut non possumus minuire delictum, ita nec augere supra veritatem; ergo sicut illud obligat ad non tacendam circumstantiam aggravantem, ne peccatum appareat minus; sic hoc obligabit ad non tacendam circumstantiam alleuantem, ne peccatum appareat grauius. Vnde oporteret dicere, quando aliquis ex graui metu peccauit, vel vehementer ab alio sollicitatus, & quasi coactus, aut per dolum inductus, &c. Nam hæc omnia valde minuant delictum etiam in foro externo. Quis autem dicat virum, qui occidit adulterum cum vxore deprehensum, non satisfacere, confitendo homicidium à se factum? & tamen circumstantia illa adulterij contra se facti minuit (si quæ alia) notabiliter grauitatem peccati, ut constat. Non ergo datur obligatio eas circumstantias explicandi, etiam quando aggravant.

Tertiò probatur, quia ex contraria etiam sententia sequitur declarandas esse circumstantias durationis, intensiōis, & alias similes; hæc enim aggravant etiam notabiliter: nam sicut declaranda est per te quantitas furti, eo quod furtum viginti aureorum æquiualeat tribus, vel quatuor furtis quinque aureorum: sic odium intentum ut octo debet declarari, cum æquiualeat pluribus odiis remissis. Item odium per quadrantem horæ debet declarari, cum æquiualeat quatuor, vel pluribus odiis instantaneis. Et tamen hæc circumstantiæ à nemine declarantur.

Quartò probatur, quia si quantitas furti declaranda est, debet etiam declarari quantitas in detractione, aut aliis damnis illatis: nam sicut furtum gemmæ valentis quatuor aureos infert tantum nocumentum; sic detraçtio in tali materia grauiori infert grauius nocumentum, quàm in tali materia minus graui: qui excessus non poterit declarari, nisi explicando materiam detractionis, & qualitatem personæ, cui detrahitur, & numerum eorum, coram quibus detrahitur, & alia similia, quæ omnia declarare in singulis detractionibus esset nimis onerosum, & ideo non est in vfu de iis omnibus interrogare.

Dices, non quemlibet excessum esse necessariò explicandum, sed notabilem, aut extraordinarium. Sed contra, quia ratio, cur debent explicari illæ circumstantiæ, est, quia variant iudicium confessorij, hic enim, sicut aliter iudicat de duobus furtis singulorum aureorum, quàm de vno, sic iudicat aliter de furto magno, quàm de paruo: hæc autem ratio, sicut probat, esse explicandam quantitatem furti, quæ continet duas quantitates duorum furtorum minorum; sic probat excessum in detractione, quo hæc fama est duplo maior, quàm fama illius detractionis, debere explicari propter eandem rationem, atque adeò debere, sicut in valore rei furtiue, sic in fama ablata pensari valorem, & quantitatem, quantum fieri possit, ut explicetur excessus illius detractionis supra alias minores.

Denique ratio à priori huius sententiæ, quæ simul deseruit ad soluenda argumenta sententiæ contrariæ, est, quam supra indicauimus; quod scilicet Christus solum præcepit necessariò confessionem peccatorum: ille autem, qui explicat speciem, & numerum peccatorum, verè, & propriè confitetur sua peccata. Ergo nihil aliud exigitur per se loquendo ex parte pœnitentis. Quæ ratio magis constabit ex argumentorum solutione.

Primò

114. Primò ergo obijciunt ex Tridentino *illo capite*, in quo probat species peccatorum esse explicandas: rationes autem, quibus id probat, omnes videntur æquè probare necessitatem explicandi has circumstantias aggravantes intra eamdem speciem, illæ enim rationes sunt, quia Sacerdos iudex est: atque aded non potest iudicium incognita causa exercere. Item quia alioquin peccata non integrè exponuntur, aut iudicibus innotescunt: nec de illis Sacerdos, aut de eorum gravitate rectè censere potest, nec denique æquitatem in pœnis pro peccatis iniungendis potest servare. Quæ rationes omnes videntur æquè procedere in his circumstantiis aggravantibus, quæ nisi explicentur, peccatum non videtur integrè exponi, sed secundam partem; nec Sacerdos potest de eius gravitate iudicium ferre: nec denique pro eo poterit debitam pœnitentiam imponere: non enim est iniungenda æqualis pœnitentia pro furto vnius aurei, & pro furto decem millium aureorum, ut de se constat; ergo si rationes illæ bonæ sunt, non minùs probant de his circumstantiis, quam de illis, quæ mutant speciem.

115. Respondetur rationes illas non æquè probare de vtriusque circumstantiis, quod quidem adversarij ipsi fateri coguntur; nam si æquè probarent, sine causa Concilium limitasset totam doctrinam illam ad circumstantias, quæ mutant speciem; debuisset enim de vtriusque in genere loqui absque limitatione, & discrimine. Agnuit ergo Concilium rationes illas non æquè probare de vtriusque. Oritur autem hæc inæqualitas, & differentia potissimum ex ratione supra tradita, quia scilicet absque explicatione circumstantiæ non mutantis speciem, verè, & propriè declaratur peccatum: nam quidditas peccati sumitur ex ratione specifica ipsius: ergo declarando speciem, declaratur quidditas, & essentia talis peccati; reliqua autem sunt extra essentiam illius, atque aded reputantur, quasi eius accidentia, logicè loquendo: qui ergo dicit se commississe furtum graue, iam explicuit suum peccatum, & integrè quidem, quia totam eius essentiam specificam aperuit, quoad genus, & differentiam ultimam, quam differentiam si non dixisset, non explicuisset integrè peccatum, ut dixit Tridentinum.

116. Dices, ergo ex institutione huius Sacramenti non potest colligi obligatio explicandi numerum peccatorum; quia sicut confitendo furtum in confesso, explicatur sufficienter illud peccatum; sic dicendo: *Ego commisi plura furti*; confitetur homo sua peccata verè, & propriè, licet non explicet distinctè eorum numerum.

117. Respondetur, negando sequelam; quia ex institutione huius Sacramenti colligitur, non solum, quod debeat explicari peccatum commissum; sed etiam quod debeat dici ut certum, quod certum est, & ut dubium, quod est dubium, ut vidimus in superioribus. Si autem non explicatur numerus peccatorum, non explicantur ut certa aliqua ex illis: nam qui dicit: *Ego commisi furti*, solum significat certò se commississe duo, vel tria, reliqua verò non explicat certò, nec Confessarius facit iudicium certum de illis, sed dubium, iudicat enim fuisse duo, vel tria, & fortasse plura: ergo quantum furtum, & alia vltiora non proponuntur certò, quod est contra rationem huius iudicij, in quo singula peccata debent dici certò, si sunt certa.

117. Sed contra virgebis, ergo propter eandem rationem debent explicari circumstantiæ aggravantes: nam qui dicit solum se commississe furtum graue, solum significat, ut certum furtum quatuor, vel

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

quinque Iuliorum; furtum verò vltioris quantitatis non significat certò, nec Confessarius potest ferre iudicium certum de illo excessu: ergo ille excessus qui certus est, debet certò explicari. Idem est de intentione: nam qui dicit se habuisse odium, solum explicat, ut certum primum gradum odij, alios verò non explicat certò; ergo illi omnes non explicantur eo modo, quo debent peccata certa explicari.

118. Respondetur negando sequelam. Ratio verò discriminis colligitur ex dictis: quia non explicato numero, non explicatur certò quartum, vel quintum furtum, ut diximus, sed duo, vel tria priora, quæ sunt peccata distincta à sequentibus: atque aded non explicantur omnia peccata, siquidem aliqua restant, non certò explicata. At verò non explicata quantitate furti (& idem est de intentione odij) nullum peccatum manet, quod non explicetur certò; nam totum illud furtum est vnum, & idem peccatum, quod licet non explicetur quoad totam suam individuationem, illud tamen revera explicatur quoad suam speciem, & quidditatem, atque aded pœnitens dicit certò se commississe illud peccatum, nec celat aliquod peccatum à se commissum, & per consequens satisfacit toti præcepto confitendi omnia peccata, cui præcepto non satisfacit, quando non explicat numerum peccatorum.

119. Hinc sequitur, quomodo secunda ratio adducta à Concilio ad obligationem confitendi species, ex eo quod aliàs Sacerdos non possit censere de gravitate criminis, non æquè procedat in ordine ad explicandas alias circumstantias aggravantes. Nam sine harum explicatione cognita specie peccati mortalis, iam cognoscitur eius gravitas specifica, & essentialis, licet non cognoscatur distinctè tota gravitas individualis. Si autem species non explicetur, iam ignorabitur eius peccati gravitas; quia sicut ignorata specie, ignoratur simpliciter peccatum, sic ignoratur simpliciter eius gravitas. Noluit autem Christus exigere talem omnino notitiam, qua Sacerdos censere possit de gravitate specifica, & essentiali peccati, & de gravitate etiam individuali eiusdem, propter rationes paulò post explicandas.

120. Restat itaque tertia ratio adducta in Tridentino pro necessitate confitendi, & explicandi species, scilicet, ut possit servari æquitas in pœnitentiis imponendis pro peccatis; quæ ratio videtur etiam probare necessitatem explicandi alias circumstantias aggravantes, iuxta quantum etiam gravitatem pœnitentia debet mensurari. Sed nec hæc ratio procedit in his circumstantiis, nam si species peccati ignoratur, nulla potest æquitas servari in pœnitentia imponenda; si enim aliquis dicat solum se peccasse mortaliter, non potest, nisi cæco modo pœnitentia imponi. Si autem dicat se habuisse ter, vel quater odium proximi, iam potest ei pœnitentia proportionata imponi, licet non explicet intentionem odij: quæ pœnitentia quamvis non sit omnino æqualis, nisi cognoscantur circumstantiæ aggravantes: non tamen semper requiritur tam exacta æqualitas in pœnitentia imponenda. Si autem aliquando oportet maiorem æqualitatem servare; tunc potest, & debet confessarius interrogare de circumstantiis aggravantibus, ad quod habet Ius, & pœnitens debet respondere, & fateri quod interrogatur. Aliqua enim debet ex seipso confiteri etiam non interrogatus; quæ magis necessaria sunt: aliqua verò debet confiteri interrogatus, quia minùs necessaria sunt, & non semper eorum notitia desideratur. Unde reddi potest ratio, cur Christus noluerit æquè obligare pœnitentem ad vtriusque circumstantias explicandas,

C c 2 sed

sed diuerso modo: scilicet ad aliquas immediate, & proximè, ad alias verò solum mediata, & remotè, scilicet dando Ius Confessario interrogandi, quando expedierit. Ratio enim esse potest primò, quia circumstantiæ non mutant species, non semper deferunt ad variandum iudicium circa pœnitentiam imponendam, sicut deferuit cognitio malitiæ specificæ, tard enim variabitur propter maiorem intentionem, aut durationem actus, quando autem duratio fuisset diuturna, explicanda erit propter numerum peccatorum, quæ in illa diuturna duratione possent interuenire.

121.

Quantitas verò furti, quæ posset variare illud iudicium, potest inquiri à Confessario, quando oportuerit, nec propterea debet fieri regula generalis explicandi omnes circumstantias. Secundò potuit hoc discrimen prouenire ex difficultate maxima, quæ esset in explicandis his omnibus circumstantiis. Nam licet vna, vel altera posset explicari, aliæ ferè omnes difficillimè explicarentur. Lex autem vniuersalis debet attendere ad ea, quæ frequenter contingunt, non ad vnum, vel alterum casum. Tertiò deniquè, quia in iis casibus, in quibus circumstantiæ eiusmodi possunt facillè explicari, & eorum notitia necessaria est ad iudicium debitè exercendum, possunt facillè inquisitione Confessarii indagari, qui cognita iam specie peccati, potest scire, an sit talis species, in qua oporteat vterius procedi ad cognoscendum circumstantiam indiuidualem, proptèr sapè oportet facere in peccato furti, & tunc debet interrogare, quod Ius datum Confessario sufficit ad conuenientem institutionem huius iudicii, in quo id, quod ex se manifestat pœnitens, nempe species peccati, dat occasionem Confessario interrogandi id, quod restat, quando in aliquo casu oportet illud scire ad pœnitentiam, vel ad restitutionem, vel ad medicinam, vel ad alios fines. Si autem species non manifestaretur, non haberet vnde sciret Sacerdos, an in hoc casu de circumstantiis deberet interrogare, imò semper deberet vterius interrogare speciem: id autem, quod semper debet inquiri, debet etiam pœnitens ex se manifestare.

122.

Secundò principaliter obijciunt, August. lib. 2. de *visitat. infirmor. capite 5. tom. 9. & lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 14. tom. 4.* in quibus locis enumerat plures circumstantias à pœnitente explicandas, quæ non mutant speciem, sed aggravant intra eandem. Respondetur illos libros non recipi tanquam libros Augustini, sed alterius Auctoris: in his verò locis aliquas etiam circumstantias numerari, quæ nec ab Aduersariis dicuntur ex necessitate explicandæ, v. g. si peccatum contingit in die ieiunij, vel orationis, vel in domo domini sui, &c. Quare fatendum est eum Auctorem non loqui de debito obligationis, sed perfectionis, in ponderandis iis omnibus circumstantiis, vel eius doctrina temperanda est.

123.

An possit pœnitens eas circumstantias negare.

Tertiò obijciunt: si circumstantiæ eiusmodi non sunt ex necessitate confitendæ: ergo licet Confessarius pœnitentem interroget, poterit ipse eas negare, vel æquiuocatione aliqua dissimulare. Respondetur negando sequelam, quia, vt sapè diximus, aliqua sunt, quæ pœnitens ex se non tenetur manifestare, & tamen inquisitus debet ea confiteri. Confessarius enim vt Iudex, & vt medicus Ius habet inquirendi plura, vt debitam medicinam applicet, & vt iustam satisfactionem imponat. In nostro autem casu est alia specialis ratio, quia si pœnitens interrogatus de furto, v. g. an fuisset decem, vel viginti aureorum, diceret fuisse solum decem, cum reuera fuissent viginti, iam non daret pro ma-

teria confessionis illud peccatum, quod fecit, sed aliud, scilicet quoddam furtum solum decem aureorum, vt notauit benè Vasquez *qua. 91. artic. 1. dub. 3.* & per consequens non confiteretur peccatum: quod fecit: nam licet non teneatur ex se explicare distinctè indiuiduationem sui peccati: teneatur tamen non supponere vnum pro alio: si enim qui occidit Petrum, accusetur se de homicidio, dicens: *Ego occidi Paulum*, (volens celare hominem occisum) non confiteretur validè, quia non confiteretur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit. Vnde soluitur simile argumentum aliorum, quod scilicet ille, qui alicui amputasset brachia, & pedes circa occisionem, satisfaceret dicendo se eum aliquantulum læsisse. Respondetur enim negando sequelam, quia eo modo loquendi significaret læsionem exiguiam, atque adeò aliud diuersum peccatum.

Quartò obijciunt, quia interdum Ecclesia referuat peccatum ratione alicuius circumstantiæ aggravantis, sine qua non est referuatum; Ecclesia autem non referuat, nisi ea, quæ sunt de necessitate confessionis: ergo illa circumstantia erat materia necessaria confessionis. Respondetur, Ecclesiam posse referuare peccatum mortale ratione circumstantiæ alicuius, quæ non aggravat notabiliter intra eandem speciem; imò de facto id facere, quia furtum de bonis naufragorum habet excommunicationem referuatam: cum tamen circumstantia illa naufragij præcedentis non aggravet notabiliter, nec esset exprimenda, si non accessisset referuatio Ecclesie. Sic etiam posset in religione referuari furtum, quando peruenit ad talem quantitatem, v. g. quinque Iuliorum, licet excessus huius furti supra aliud furtum graue non sit circumstantia notabiliter aggravans. In his autem casibus explicanda est hæc circumstantia, vt constet excommunicationis, vel referuatio.

Quintò obijciunt, quia si quis decies furatus esset decem aureos, tenetur numerum confiteri: ergo si vnico furto furatur centum, debet eam quantitatem declarare: eadem enim videtur esse malitia, & grauitas in hoc vnico furto, quæ esset in aliis decem. Confirmatur, quia plerumque maior est grauitas, quæ prouenit ex circumstantia intra eandem speciem, quam quæ prouenit ex circumstantia mutante speciem: grauius enim peccat, qui mille aureos furatur extra Ecclesiam, quam qui duos furatur ex Ecclesia; ergo magis oportet explicare illam grauitatem, quam istam. Respondetur negando consequentiam, quia, vt supra diximus, obligatio explicandi numerum non est præcisè, vt explicetur maior grauitas vtriusque, sed vt manifestentur omnia peccata certa certò, & non in dubio pro vt fieret, si solum proferretur aliquis numerus in confuso. Vnde etiam patet ad confirmationem: nam grauitas proueniens ex specie noua, debet explicari propter rationes superius explicatas, quæ, vt vidimus, non probant æquè de obligatione explicandi semper grauitatem proueniens ex circumstantia intra eandem speciem, nisi quando Confessarius eam inquirat, quod communiter debet facere in illo exemplo furti propter speciales rationes.

Sextò obijciunt, quia qui vno ictu occidit decem homines, debet explicare illam circumstantiam, nec sufficit dicere, feci homicidium, sed debet dicere, occidit decem homines, licet illa sit solum circumstantia voluntatis, & desiderio interno occidendi decem homines. P. Vasquez *diss. quaest. 91. art. 1. dub. 4.* respondet illam circumstantiam esse quidem explicandam; quia

quia illud peccatum habet decem malitias distinctas ex illis decem obiectis. Pro explicatione statuit hanc regulam vniuersalem, quoties circumstantia aliqua supponit iam actum constitutum in genere mali, & augeat illius malitiam, ut maior intensio, maior duratio, non multiplicatur peccatum, nec illa circumstantia est explicanda: quando verò circumstantia non supponit actum in genere mali, sed ipsa per se constitueret, est duplex, vel multiplex peccatum. Sic cum coniugatus peccat cum coniugata, est duplex malitia adulterij explicanda; quia matrimonium singulorum sufficit per se ad dandam malitiam adulterij. Idem est, cum quis vno ictu plures occidit, & qui maledicit pluribus, &c.

Hæc doctrina difficilis videtur. Primum quia non facile explicatur, cur singulæ partes pecunie furtivæ non multiplicent etiam malitias in peccato furtivi, sicut distincti homines, quos aliquis vult occidere, refundunt diuersas malitias in volitionem. Ratio enim, quam affert P. Vasquez *ibi num. 4.* ad multiplicandas malitias, est hæc, quia malitia actus consistit in respectu contrarietatis ad virtutem; quare cum hic actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per se provenit contrarietas ad virtutem; consequens est, ut sint plures malitiae numero distinctæ, & plura peccata. Hæc autem ratio videtur etiam procedere in furto: nam illa voluntas, & actio furandi centum aureos, dicit ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per se provenit contrarietas ad virtutem iniustitiæ; quilibet enim aureus, & eius ablatio opponitur virtuti iniustitiæ per se; Ergo debent etiam multiplicari malitiae.

Aliam rationem indicat *num. 5.* quod, scilicet in furto rei magnæ circumstantia magnitudinis supponit iam constitutam actionem in esse mali, solumque augeat eandem malitiam. Sed hæc ratio videtur etiam procedere in exemplo homicidij: nam multitudo interfectorum supponit etiam actionem constitutam in genere homicidij, quare illa circumstantia solum augebit, non multiplicabit malitiam: & sicut mors vnius est diuersa secundum se à morte alterius; sic ablatio, seu carentia vnius auri, quæ causatur per illud furtum, est diuersa à carentia alterius, & independens ab illa, nec vna supponit aliam, possunt enim omnes auri simul in eadem bursa furtivi sine prioritate vlla: ergo nulla ex illis malitiis supponit aliam, nec actum constitutum in esse mali.

Propter hæc fortasse *num. 10.* indicate videtur aliam rationem differentie, quod scilicet tria vulnera eidem personæ vno ictu illata faciunt vnum, & idem damnum, scilicet vnam ægritudinem resultantem ex tribus vulneribus, quod idem dicere posset de furto centum aureorum, quod videtur causate plura damna componentia vnum damnum illius personæ: at verò diffamatio duarum personarum causat duas laciones famæ, quæ non continuantur inter se ad componendum vnum damnum, vel vnam lacionem.

Sed contra hoc, quia damnum carentiæ vnius auri non continuatur, vel vnitur propriè, nisi solum moraliter, & extrinsecè cum damno carentiæ alterius: ergo si hæc vnio moralis sufficit ad componendum vnicum peccatum, sufficit à fortiori maior illa vnio, qua damnum vnius hominis vnitur cum damno alterius in vnica, & eadem volitione, quæ aliquis vtrumque simul odio habet. Nam peccatum odij non est damnum desideratum, sed affectus, quo desideratur; hic autem affectus est magis vnus, quam damnum illatum sit vnum in furto. Ergo hæc vnitas sufficit.

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

ciet magis ad reddendum vnum illum peccatum odij.

Adde posse etiam aliquando inueniri vnionem moralem in ipso damno, quando enim aliquis lædit famam alicuius familiæ, vel domus, tunc sicut personæ læsæ habent coniunctionem moralem in vna familia, vel domo, sic diffamatio, & damnum videtur habere eandem coniunctionem moralem: ergo si coniunctio moralis impedit multiplicationem malitiarum in furto, sic impedit in hoc casu.

Dices, in hoc casu peccari contra plura Iura diuersa, nam singuli habebant Ius ad suam famam, vel vitam, &c. Sed contra, quia in furto etiam peccatur contra plura Iura diuersa: nam idem Dominus habet plura Iura ad ea, quæ possidet, vnum scilicet ad pecuniam, aliud ad vestes, aliud ad libros, &c. Ergo auferendo hæc omnia peccatur etiam contra plura Iura diuersa.

Vnde argui potest secundò principaliter contra illam doctrinam Patris Vasquez, quia si iuxta multitudinem personarum, quæ læduntur, multiplicentur peccata in actione eadem, cum peccata, quæ à parte rei committuntur, debeant esse actu determinata, quæti potest, quando aliquis vult occidere omnes homines vnius familiæ, quorum numerum ignoret, quot peccata committat, non enim committit multitudinem aliquam peccatorum confusam, & indeterminatam, quia omnis multitudo, quæ datur à parte rei, est determinata, & certa. Ergo fatendum est committi vnicum peccatum cum ordine ad illam multitudinem hominum confusam, & non plura peccata distincta. Hoc autem argumentum virgeri potest in eo, qui haberet velleitatem peccaminosam occidendi infinitos homines: tunc enim deberent multiplicari infinitæ malitiæ in eo actu, & per consequens ille homo committeret infinita peccata, quod admitti non potest: ergo dicendum est committi vnicum cum tanta grauitate determinata per ordinem ad illam multitudinem hominum apprehensum.

Vides difficultatem illius doctrinæ, aliunde tamen non caret difficultate negare in vniuersum, quod multiplicentur malitiæ propter ordinem ad plura obiecta, vel personas distinctas numero. Primum, quia non videtur posse negari, quod multiplicentur malitiæ in eodem actu propter respectum ad obiecta specie diuersa; ut si quis eodem actu peccet contra castitatem, & contra religionem propter votum castitatis; quo casu dicunt communiter esse duas malitias specie diuersas, atque idè explicato peccato fornicationis in vna confessione, posse in alia explicari malitiam solam violationis voti, quæ per oblivionem fuerat omissa, non explicando iterum malitiam fornicationis, quæ iam fuerat sufficienter explicata, de quo dicemus infra *sestione 5.* Qua doctrina supposita, videtur posse retorqueri argumentum factum contra Patrem Vasquez, quia si aliquis vno actu velit agere contra infinitas virtutes specie diuersas, deberent esse infinitæ malitiæ specie diuersæ: quod ergo dicitur de multiplicatione illa specierum, idem dici poterit de multiplicatione malitiæ indiuidualis.

Secundò, & à priori, quia sicut oppositio cum diuersa regula rationis, & honestatis, potest multiplicare malitias in specie: sic oppositio cum Iuribus distinctis poterit multiplicare numero malitias iniustitiæ; nam sicut malitia moralis est læsio regulæ rationis, sic malitia moralis iniustitiæ est læsio Iuris alieni: cum ergo qui occidit

Cc 3 duos

duos homines, aut infamat, laedat duo distincta iura, quae illi habent ad suam vitam, & famam; consequens est, ut contrahat duas malitias iniustitiae, seu duas oppositiones contra duo iura aliena.

134.

Ego quidem existimo, quod attinet ad propositum nostrae quaestionis posse nos praescindere ab illa alia controuersia speculatiua de multiplicatione malitiae in eodem peccato, quaestio enim nostra nunc non est, an in illo actu sint plures malitiae, vel una, sed an id debeat explicari in confessione, & quidem licet in peccato habente plures malitias specie diuersas debeant omnes explicari, non sequitur idem in peccato habente plures numero distinctas. Ratio differentiae est, quod in primo casu non explicaretur distincte tota species illius peccati, si aliqua malitia specifica illius taceretur; cum autem debeant explicari distincte omnia peccata quoad suam speciem, consequens est, quod debeant explicari distincte omnes illae malitiae specie diuersae. At vero in secundo casu, etiam non explicata distincte tota malitia individuali illius peccati, explicatur illud numero peccatum, quod ad suam speciem distincte, & confusè quoad differentiam numericam, quod sufficit ad satisfaciendum praeepto confessionis, cum nullo peccatum maneat non explicatum quoad suam speciem, & aliunde dicatur totus numerus peccatorum, licet non totus numerus maliciarum, de quo explicando non inuenimus aliquod praeeptum.

135.

Mihi ergo probabilius est illum praecipuum respectum vnius actus ad personas diuersas non debere necessarid explicari, ut supponit Suarez cum aliis *diff. 22. sect. 5. a n. 33.* dum negat multiplicari malitias; quam illationem fatetur probabilem ipse Valquez *vbi supra, num. 3. & 8.* & loquens de voluntate occidendi plures, eam tenet expresse Marullus Megala Clericus Regularis in *institutione confessorio- rum 1. part. lib. 5. cap. 12. num. 4.* & loquens de eo, qui audit plures confessiones in peccato idem docet Eman. Rodriguez in *summ. tom. 2. cap. 44. numero 23.* dicens non debere necessarid explicari numerum confessionum, si eas omnes semel successiue vnam post aliam audiuit; & ni fallor, in peccato detractio- nis ita sepe fit, ut non explicet poenitens personas quas vnica detractatione laetit, ut si detrahit familiae vel domui, non explicat, quot sint in illa familia, vel domo, aut religione, sed ad summum dicit se detra- xisse grauitur alicui ordini religioso, nec solliciti sumus de interrogando ordine in particulari, quod tunc deberet fieri ad cognoscendum melius nume- rum personarum laesarum. Item quando aliquis suo peccato scandalum praebet adstantibus, non credo solere interrogari communiter de numero determi- nato adstantium, qui potuerunt scandalizari, quod tamen fieri deberet, si haec doctrina non esset pro- babilis.

136.

Probari autem potest primò ex peccato furti, in quo licet poenitentes soleant explicare quantitatem furti, non tamen solent explicare respectum ad diuersas personas, quibus damnum illatum est eodem furto, ut si res ablata erat alicuius communis, vel pertinebat ad plures haeredes pro indiuiso ante ha- reditatis diuisionem: in quo casu deberet hoc expli- cari, si peccata multiplicantur iuxta numerum per- sonarum, quae laedantur; & tamen poenitens arbitrat- ur se satisfecisse dicendo; abstuli rem alienam, licet non dicat, quot domini eo furto laesi fuerint.

137.

Pater Valquez *vbi supra, num. 5.* videtur negare paritatem huius exempli, eo quod vnitas malitiae consistit in vno respectu contra rationem: vnus verò respectus malitiae consideratur ex vno damno; quod enim plures illud damnum patiantur, non multiplicat respectum, ut sit duplex furtum. Sed

contra, quia non video, cur non sit ibi duplex dam- num, aut multiplex, cum ex illo furto singuli haere- des aliquod damnum partiale sentiant, nam sicut utilitas rei communis erat, & diuidebatur inter il- los; sic damnum erit commune, & diuidetur inter eosdem. Nec video, quomodo sit magis damnum multiplex, quando aliquis loquitur male de tota fa- milia, cum illi etiam possideant famam, & honorem communis, quasi pro indiuiso, sicut haeredes pos- sident pro indiuiso hereditatem, & tamen ipse Val- quez *n. 50.* concedit peccatum maledicentiae in vnam familiam esse multiplex peccatum, & inferre multa damna propter respectum ad diuersas perso- nas, quas continet familia.

Melius responderi posset in vtroque illo casu, nec multiplicari peccata, nec etiam malitias, quia lus ad hereditatem, vel ad famam, quod laeditur, non est multiplex, sed vnicum rediens pro indiuiso in illis omnibus; sed quidquid de hoc sit, restat semper ratio supra facta, quod licet ex multiplicitate laesi multiplicentur numero malitiae, non tamen peccata, nec est necesse explicare distincte totam malitiam individuale illius peccati, sufficit con- fiteri illud peccatum, explicando malitiam specifi- cam.

Secundò probari potest doctrina nostrae illatio- nis ex alio exemplo, quod admittit ipse Valquez in *1. 2. diff. 98.* quod scilicet peccatum aliquod con- tra duo praeepta diuersorum superiorum non habet duas malitias, nec ea circumstantia debet in confes- sione explicari, si sint praeepta eiusdem rationis, vtrique enim est malitia inobedientiae, atque adeo peccatum contra praeeptum diuinum, & humanum non habet duplicem malitiam inobedientiae in sen- tentia satis communi, quam relatis multis Aucto- ribus probat, & sequitur Pater Salas *2. tom. in pri- mam 2. tract. 13. diff. 3. sect. 2. ex quo casu argui potest ad nostrum.* Nam illud peccatum fititiam contra Ius vtriusque superioris, & laedit Ius, quod vterque habet, ut ei obediatur, quae Iura sunt diuersa, atque adeo damnum illatum videtur esse diuersum, sicut quando laeditur duplex Ius duorum ad famam, vel ad vitam: & tamen illa duplex laesio iurisdictionis non debet explicari in confessione; ergo nec in no- stro casu.

Dixi tamen in illatione respectum illum praeci- sum ad diuersas personas non esse explicandum in confessione: fateor enim sepius explicandum esse ex aliis capitibus. Primò, quando ille respectus addit circumstantiam specie diuersam, ut si aliquis de- sideraret occidere plures, quorum aliquis esset Sacerdos, alius suus pater, &c. Tunc enim peccatum contrahe- ret malitiam sacrilegij, parricidij, &c. Secundò exi- stimo in peccato adulterij coniugati cum coniugata explicandum esse vtriusque coniugium, quia adulter coniugatus contrahit diuersam specie malitiam ra- tione sui coniugij, & diuersam ratione coniugij sui complicitis: prior enim malitia est contra fidelitatem, quam debet suae coniugi, & contra obligationem seruandi leges sui matrimonij: posterior verò est, quatenus est causa sua cooperatione, quod complex violet leges sui matrimonij: diuersa autem virtus esse videtur, quae inclinat hunc coniugem ad seruandum suum matrimonium ab ea, quae inclinat ad ser- uanda aliena matrimonia, sicut diuersa virtus est, quae me inclinat ad seruandum ieiunium meum ab illa, quae inclinat ad non violandum ieiunium, quod alij debent; illa enim prior est propriè virtus temperan- tia, haec verò posterior non est propriè virtus temperan- tia, sed redutit. Eadem ratione, si quis habens votum castitatis peccat cum habente similiter votum castitatis, debet explicare in confessione vtriusque,

utriusque, quia alia species malitiae contrahitur ex violatione proprii voti, alia vero ex cooperatione ad violationem voti alieni, ad cuius observationem ego non teneor ex voto, ut constat. Similiter ergo diuersa obligatio est non violandi proprium matrimonium, & non cooperandi ad hoc ut alius violet suum. Tertio occisionem plurium, vel voluntatem occidendi plures, credo communiter non explicari bene in confessione, dicendo, feci homicidium, aut habui voluntatem homicidij: quia homicidium ex communi acceptione significat occisionem hominis, non hominum, quare confessarius conciperet tunc occisionem vnius hominis, & per consequens non intelligeret illud peccatum, quod reuera fuit, sed aliud, sicut si ille, qui furatus est centum, diceret furatus sum viginti, non bene explicat suum peccatum, quia dicit vnum peccatum pro alio. Eadem ratione qui desiderauit peccare cum tribus foeminis, non bene explicaret dicendo, desideravi fornicationem aut habui desiderium fornicationis, quare regulariter existimo explicandum esse in praxi numerum personarum, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem.

De circumstantia autem sollicitantis foeminam ad fornicationem, an sit explicanda: an verò sufficiat fateri fornicationem, placet, quod cum aliis docet Vasquez in *presenti dicto*, dub. 4. num. 7. non esse explicandam illam circumstantiam, quia illa malitia habetur, licet non ita grauis, quando aliquis non sollicitat: adhuc enim participat cum illa in suo peccato, & est causa cooperans ad eius ruinam; quare solum videtur aggrauari magis hæc malitia intra eandem speciem, quando aliquis positius inuitat, & sollicitat. Quod obseruandum est pro illis etiam, qui in Missa diebus festis distrahitur volucariè è colloquiis, & confabulationibus; nec enim videntur interrogandi in confessione, an ipsi pronocauerint socios ad colloquendum, vel non, cum vtrius modo cooperati sint ad peccatum aliorum, & hæc dicta sunt occasione illius sexti argumenti, quod sit contra nostram sententiam.

Septimo obijci solet, quia in incestu explicari debet gradus consanguinitatis, & affinitatis, licet non afferant ij gradus diuersitatem specificam: Ergo solum debent explicari propter maiorem grauitatem intra eandem speciem. Respondetur, si incestus non sint specie diuersi ex graduum diuersitate, non esse gradus in confessione explicandos, de quo latius *infra* scilicet. 6. An verò sint specie diuersi, est magna quaestio, de qua Vasquez in *presenti*, dub. quarto à numero undecimo, & mihi probabile est differre specie coitum cum parentibus ab aliis omnibus propter specialem deformitatem, quæ oritur ex peculiari reuerentia parentibus debita, quæ non debetur aliis consanguineis. Probabile etiam videtur differre specie coitum cum fratre, aut sorore ab aliis, quia probabilis est hunc esse iure naturæ interdictum, ut cum communi probat late Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 52. numero 11. & hoc quidem propter specialem foeditatem, quæ est in illa coniunctione, eo quod fratres ab incunabilis conuiuentes, & simul nutriti nimis procliuces essent ad coitum, nisi naturæ fræno prohiberentur ob illam nimiam coniunctionem. In reliquis autem grauibz prohibitis transuersalibus consanguinitatis non videtur esse differentia specifica, sed grauitas maior, vel minor non necessariò explicanda: prout ipsi etiam Auctores contrariæ sententiæ concedunt, tertium, vel quartum non esse necessariò explicandum, imò aliqui idem dicunt de secundo, eo quod non aggrauet notabiliter. De grauibz verò affinitatis probabile est, primum gradum lineæ rectæ dif-

ferre specie ab aliis, eo quod habeat specialem quandam deformitatem; propter reuerentiam quasi paternam debitam vxori patris vel marito matris. De aliis autem gradibus transuersalibus verius videtur, non esse explicandos in particulari, quia non addunt diuersitatem specificam. Scio, aliquos concedere, nullum prorsus gradum consanguinitatis, vel affinitatis esse necessariò explicandum, sed solum malitiam incestus, etiam si sit cum filia, vel sorore, quam sententiam post alios sequitur Dian. in *tract. de circumstantiis aggrauantibus* resol. 31. vbi alios refert. Hæc in genere dicta sunt. Nunc descendemus paulò magis in particulari ad circumstantias, quæ afferunt differentiam specificam, & quæ debent explicari, & pro pleniori intelligentia indicabimus in sequentibus præcipua capita, ad quæ eiusmodi circumstantiæ reduci possunt.

SECTIO IV.

§. 1. De circumstantiis in particulari, & primò de circumstantia Quis.

Septem solent assignari circumstantiæ peccatorum, ad quas alie reduci possunt, scilicet: *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

De quibus in particulari dicemus, & obiter resoluemus dubia practica, quæ circa illas solent occurrere. Prima ergo est, *Quis*, hoc est, qualis sit persona peccantis, non quidem quando constituitur, sed quando peccatum committit: quod in vniuersum notandum est pro omnibus circumstantiis, quæ quidem non sunt explicandæ, nec attendendæ secundum statum præsentem, sed secundum statum, quem habebat peccans, quando peccauit, ut in fornicatione non refert, an nunc sit coniugatus, vel religiosus, sed an fuerit talis, quando peccauit.

Circa hanc circumstantiam plura dubitari solent. Primo de circumstantia voti, de qua certum est, debere explicari, verbi gratia, eum, qui se de fornicatione accusat, debere explicare, quod habebat votum castitatis, quia transfert ad aliam speciem peccati contra religionem: aliqua tamen dubia sunt circa obligationem constituendi hanc circumstantiam voti, quæ breuiter indicabimus.

§. 2. De circumstantia voti: vbi, An debeat explicari votum, vel similis circumstantia quæ sit in eo, quem penitens induxit ad peccandum.

Certum in primis videtur, non oportere explicare, an pluries, vel semel solum promissa fuerit per votum res illa, quia nec affert circumstantia illa differentiam specificam, neque etiam aggrauat notabiliter intra eandem speciem. Dubium est in primis, an qui violauit votum solemne castitatis, verbi gratia, teneatur id explicare; an sufficiat dicere, violauit votum castitatis in tali malitia, de quo late Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. Lessius lib. 2. de instit. cap. 40. dub. 5. n. 40. qui plures sententias, & singularum Auctores referunt, qui videri possunt apud Dianam 1. tom. tractat. de circumstantiis aggrauantibus resoluit. 3. 4. & 2. tom. tractat. 4. resoluit. 67.

Multi negant, debere explicari solemnitatem voti, atque adeo dicunt, sufficere, quod dicat, se habere votum castitatis; quia vtrumque votum est eiusdem speciei: quant sententiam amplectitur Sanchez *vbi supra*, & lib. 5. de statu religioso cap. 6. n. 14. & est probabilissima. Alij plures dicunt, oportere,

Cc 4 quod